

Q241

Handwritten text on a strip of paper at the bottom edge, possibly a library label or inventory record, featuring red vertical lines and black markings.



40-

GRATIA SALVATORIS!  
ET  
BENEVOLO INCLUTI PHILOSOPHORUM SENATUS INDULTU  
**INSIGNIA**  
QUATUOR EVANGELI-  
STARUM,  
IN ALMAM PHILUREA  
SUB PRÆSIDIO  
VIRI EXCELLENTISSIMI, PRÆCLARISSIMI QVE  
DN.

M. JACOBI THOMASII,  
Eloquentiæ Prof. Publ. celeberrimi,  
Facultatis Philosophicæ Assessoris gravissimi, ut &  
Minoris Principum Collegii Collegiati longè dignissimi,  
DOMINI, PATRONI ET PRÆCEPTORIS  
cum observantiâ colendi

*Ad d. 30. Novembr. A. 1667.*

Disputationis loco publicè proposita.

**GOTTFRED SPROTTA,**  
URATISL. SILES. A.A. LL. & PHILOS. BAC-  
CALAUREO ET MAGISTERII CANDIDATO.

---

Auctor jam recusa.

F E N Æ,

Sumptibus CHRISTOPH. ENOCH. Buchta/  
M. DC. LXXI.

GRATIA SALVATORIS  
IN VOCATIONE THEOLOGORUM ET ALIUM  
IN SIGNIA

LOVATIENSIS TANGELL

M. JACOBI THOMASII

GOETZKE'S SPINNETT

GRATIA SALVATORIS!

§. I.

**E**Gregia fanè, nec sine exactâ & accuratâ rei ponderatione prætermittenda visio illa est quatuor animalium, (A) Hominis (B) nempe, Leonis, Bovis, (C) & Aquilæ, quæ Ezechielis (D) primùm, deinde in Apocalypsi (E) quoque Johannis fuit uturpata oculis.

(A) *Quatuor Animalia, propter alas forsan, quidam Eruditorum quatuor Cherubim appellant. Teodorægoræ ego sic mentio apud Athanasium sic, citante Pelargo Quin Matth. p. 13. Cherubim bis binis vultibus vocat Tertullianus poem. p. 95. Cherubim quadriformia Irenæus L. III. advers. Hæres. c. XI. fol. 186. fin. Cherubinos Ezechielis Cornelius Cornelii à Lapide Comment. in quat. Evangel. Proëm. p. 10. D. a.*

(B.) *Sunt qui Angelum vocant. Nimirum omnia ista quatuor animalia sunt alata. Minimè autem homo opponendus Angelo, uti quidam censet Nobilissimus Barthius LXI. Advers. fol. 554. discrepareq; statuit vulgarem Picturam, quæ Matthæo Angelum appingit ab illa quæ pro Angelo ipsi dat Hominem. Homo enim Alatus Angelus. (C.) Bovem Ezechielis, vitulum Johannes vocat in Apocalypsi juxta vulgatam. (D.) Ezechielis 1. v. 10. (E.) Apocalypf. 4. v. 7.*

§. 2. Num hæc animalia in utroque Scripturæ Sacræ loco idem significant, non est nostrum expedire,

A 2

sed

sed merito decidendum hoc negotium relinquimus Ca-  
thedrae Theologorum.

§. 3. Controversiae huic & illam adjungimus exa-  
minandam quænam sit verissima hujus visionis significa-  
tio & explicatio. (F.)

(F.) *Interim, si placet, poterit evolvi Fridlib. Observ. in A-  
poc. p. 358. qu. 28. Ofsander in Bibliis ad Ezech. & A-  
pocal. Tremellius & Junius Schol. in Ezech. p. 170. qui  
duo de quatuor proprietatibus explicant Angelorum,  
qui adeo definiri inde possint hoc modo: Spiritus esse  
intelligentes ut homo, potentes ut leo, ministrato-  
rios ut bos, & celeres ut Aquila. Adde Prücknerum  
in Vindiciis ad utrumque locum: ut & Gamalieleum no-  
strum Venerandissimum Dominum D. Kromayerum  
Commentar. in Apocal. p. 103. & 105.*

§. 4. Sunt verò valde variæ illius expositiones &  
tot ferè reperiuntur, quot Commentatores, qui vel sa-  
cram Ezechielis Prophetiam, vel venerandam Johannis  
Apocalypsin Scholiis illustrarunt, vel alias in Materiam  
hanc inciderunt, adeò, ut operosum nimis videatur ne-  
gorium, omnes, in quas visio ista tracta est allegorias  
commemorare. (G.)

(G.) *Tredecim expositiones enumerat Johannes da  
Sylveira, Comm. in Apocal. f. 307. seq. Sufficiant inter-  
ea paucula quadam sententia, quas hic præterire no-  
luimus. Raph. Eglin. de Helia Artist. Cap. 2. ad quatu-  
or Ecclesiae tempora accommodat. Julinus Martyr  
qu. 44. Tom. III. oper. fol. 84. ad Nebucadnezarem,  
cujus unguis creverunt sicut Aquila, & capilli ut iube  
Leonis, qui ad instar vituli herbam depastus est, & cor  
hominis datum est ei. Archangelus de Burgonovo in  
Cabbalistic. p. 768. ad quatuor Elementa applicat: sicuti  
Chas.*

- Chassanau in Tract. de Gloria Mundi Part. III. Consil. 35. p. 152. Evangelistas ad quatuor Elementa applicat, ut videre est etiam apud Theod. Hoping. c. 2. de Jure Insign. §. 6. sect. 2. memb. 2. f. 67. seq. Alii ad quatuor principales virtutes Apostolis & aliis Evangelii predicatoribus concessas: Vide Frey Biblisch Thierbuch. p. 143.*
4. *Quidam Mundi aetatem quatuor annorum millibus definiuerunt, ob quatuor animalia Ezechielis: vide Gassendum Tom. I. fol. 177. Adhuc aliter Proclianita apud Philastrum p. 46. de quibus & Prateolum consule Elench. Heres. (Tom. II. Chronici Chronicorum Gruteri p. 702.)*
5. *& Perrejum p. 136. Catal. haret. R. Elieser per animalia quatuor Principes superiores prapostos quatuor Regnis, videlicet Principem Monarchiae Babylonica, Persica, Graeca & Romana intelligit, ut facies Leonina designaverit Babel, juxta Jerem. 4. v. 7. ascendit Leo de Cubili suo; Facies humana Reges Media & Persiae, quia illi clementer & humaniter tractaverint Israelitas sibi subditos, qui illis facultatem dederint revertendi in Patriam, exstruendi templum &c. Facies Taurina Alexandrum Macedonem, qui Cornu ferit alios Reges; Facies Aquilina Imperium Romanum, quia omnes Imperatores Romani in suis vexillis Imaginem Aquilae gerunt. Vid. Guilhelm. Henr. Vorstius animadvers. in Pirke seu capitulo. R. Elieser. p. 154. edit. Lugd. 1644. & Antonin. Part. I. sum. Tit. 3. c. 6. §. 19. Varias etiam allegorias habet Stegmannus Christognos. p. 394. adde & Nicolaum de Lyra exposit. in Ezech.*

§. 5. *Tantâ quoque difficultate pollere visio hæc visa fuit veteribus, ut antiquissimi Ebraeorum in libro quodam apud eos authentico expressè expositionem ejusdem esse secretissimam determinarint (H.)*

(H.) Antiquissimi Ebraeorum, inquit Paulus Burgenfis, addit. 2. ad Lyr. in cap. 1. Ezechiel. sive Thalmudici, in quodam libro authentico apud eos, qui dicitur Hanguiga expressè determinant, quòd intelligentia hujus visionis Ezechielis debet esse secretissima, sic, quod non licebat alicui eam scienti alios de ipsâ docere, nisi tantum unum, & hoc in magno secreto, non exprimendo rotam intelligentiam, sed tradendo principia, ex quibus discretus discipulus posset alia intelligere, & hoc propter magnitudinem mysterii.

§. 6. Nos omisiss & relictis aliis illam tantum curatius paulò in præsentiarum considerabimus sententiam, quæ quatuor Evangelistis quatuor illa animalia applicat, & illorum ea Insignia esse, eleganter statuit.

§. 7. Et ita quidem hunc laborem suscipiemus, ut non falcem in alienam immittentes messem, verbi divini & Scripturæ Sacræ secreta interpretemur, sed historiam tantum accommodationis hujus recitemus.

§. 8. Fuit autem hæc de quatuor Evangelistis expositio ferè totius Ecclesiæ primitivæ communis. *Qui enim ante vos, inquit Augustinus (1.) Scripturarum Sacrarum mysteria tractaverunt, pleriq; in his animalibus quatuor Evangelistas intellexerunt.*

(1.) Tractatu 36. in Johan. Tom. IX. oper. fol. 279. *Quæramus obiter, an interpretationis hujus autoritas aliqua rejici & in Sibyllas possit. Equidem Autor Bigæ salutis Serm. XVI. de temp. è Sibyllâ Delphicâ hæc affert: Hinc quatuor animalia (i. e. Evangelistæ) surgent in testimonium, sectantes justitiam, legemque irreprehensibilem. Vult autem simul credi, ab Augustino hæc lib. XVIII. de Civ. Dei relata esse in literas. Qui (sanè totum istius libri caput 23. vaticiniis impendit Sibyllarum. Sed in eo*

2020



*roto de quatuor animalibus testimonium Christo perhibentibus ne verbum legas quidem.*

§. 9. Enimverò sunt quatuor Evangelistæ Sanctæ quedam quasi Domini quadrigæ, ut alicubi eos idem vocat Augustinus (K), quibus per orbem tanquam curru triumfali vectus subegit Populos, & odorem cognitionis suæ sparsit.

(K.) l. I. de Consens. Evangel. c. 7. (Tom. IV. oper. fol. 375.) ubi & capite 2. (f. 372.) rationem reddit quandam numeri quaternarii his verbis: & bene quatuor, quoniam sunt quatuor partes orbis terræ. Circa hoc tamen aliam rationem suppediat Origenes ap. Gerbardum Tom. I. Harmon. quat. Evangel. c. 8. à Paradisi fluminibus desumptam. Præterea quadrigam etiam vocat Hieronymus Tom. V. fol. 177.

§. 10. Cæterùm in isto consensu est nihilominus haut parùm discordiæ, cum sigillatim quæritur, quodnam animal cui Evangelistæ comparandum sit? Quæ quidem in re tres numerare possumus sententias. Sed eas antequam videamus præmonenda quædam sunt de duplici ordine tum animalium Biblicorum, tum Evangelistarum.

§. 11. Etenim animalium duplex ordo conspiciendus: alius apud Ezechielem; alius apud Johannem reperitur in Apocalypsi. (L.) Apud Ezechielem Homo primum, Leo secundum, Bos tertium, quartum Aquila obtinet locum. Aliter Apocalypsis, Leoni primam, Bovi secundam, Homini tertiam, Aquilæ ultimam attribuit sedem.

(L.) Cur alius, causam reddere vult Glossa ordinaria ad c. 5. Apocalyps. quam citabimus infra. §. 27. lit. i.

§. 12. Nec minus ipsorum Evangelistarum, quorum

rum insignia statuuntur, ordo diversus est, alter scribendi nempe, alter cognoscendi, ut distinguit Augustinus (M.) Scribendi talis: Matthæus, Marcus, Lucas, Johannes; Cognoscendi autem iste est: Johannes, Matthæus, Marcus, Lucas.

(M.) *L. I. de consens. Evangel. C. II. (Tom. IV. Operum fol. 372. B. C.)* quatuor Evangelistæ hoc ordine scripserunt, primùm Matthæus, deinde Marcus, tertio Lucas, ultimò Johannes. Unde alius eis fuit ordo cognoscendi atque prædicandi, alius autem scribendi. *Confer. Aurel. Episc. Annal. Baron. p. 37.*

§. 13. Scribendi ordo ad tempus refertur, quo quisque instinctu Numinis Supremi in emolumentum & crementum omnium, quot Sol unquam videbit, scripserit Evangelium existimatur: Cognoscendi ad tempus, quo quisque divinâ vocatione ad sacrosanctum prædicandi munus fuit assumptus.

§. 14. Ordinem scribendi posuimus talem, qualis in Codicibus Biblicis receptus hodiè, & communiter apud Auctores servatur & observatur, quando nomina Evangelistarum recensent (N.), nisi quod interdum Marco præpositum Lucam (O.) reperire liceat, Quod nescio an inde factum sit dicendum, quia non satis cognitum sit atque perspectum, uter alterum scribendo ante verterit (P). Nam, si qui præterea alium adhuc ordinem sequuntur, ut Victorinus alicubi (Q.), & Ambrosius (R.), de iis cur ita fecerint, alia ratio reddi potest: simulque ostendi, eos non voluisse ordini præjudicare recepto (S).

(N.) *Hoc videlicet ordine (MATTHÆUS, MARCUS, LUCAS, JOHANNES) leguntur apud Augustinum Tom. IV. fol. 374. D. Hieronymum Tom. V. fol. 177. E. Tom. IX. fol.*

fol. 5. & Catalog. Scriptor. Ecclesiastic. fol. 6. edit. Miræi.  
Athanasium ap. Pelarg. 2q. in Matthæum. p. 13.

(O.) id pluribus ostendetur Infra ad §. 38. lit. a. m.

(P.) hoc ordine, (MATTHÆUS, LUCAS, MARCUS, JOHANNES) leguntur apud Hieronym. Tom. III. f. 16. & in ipso catalogo. f. 5. item apud Petrum Rigensem, & alios, quos infra dabimus lit. q. ad §. 29.

(Q.) Comment. in Apocalyps. ubi sic ordinat, MARCUS, MATTHÆUS, LUCAS, JOHANNES. Sed Marcum ideo videtur preposuisse, quia in loco Apocalypseos prima Leonis mentio, quem Marci Symbolum & Insigne facit. Non autem in animo fuisse Victorino, ut receptum ordinem mutaret, inde colligas, quia & mox Matthæum Luca anteposit, contra quam factum oportebat, si Apocalypica Symbola sequi constanter voluisset.

(R.) Tom. V. fol. 5. quo in loco sic ordinat: JOHANNES, MATTHÆUS, MARCUS, LUCAS. Putes quidem voluisse eum hic sequi ordinem cognoscendi Evangelii: Apostolum itaque statim Apostolo junxisse & Johannem preposuisse, qui primus esset vocatus (vide mox. lit. U.) sed magis opinor inseruisse eum precedentibus, ubi tres fecerat sapientie partes, Naturalem, Moralem, Rationalem. Hic enim ordo est, ad quem mox & Evangelistas revocat, ultimum locum Luca reservans, quod eum vellet in omnibus sapientie partibus prestitisse. Verba ejus Tom. IV. Oper. f. 5. Prefat. in Lucam hæc sunt: Est enim verè sapientia Naturalis in libro Evangelii, qui scribitur secundum Johannem — Quis autè moralis secundum Hominem singula persecutus, quam Sanctus Matthæus, qui edidit nobis præcepta vivendi? quid rationabilis illo admirabili copulatu, quam quod Sanctus Marcus statim in principio locandum putavit: Ecce mitto Angelum meum. — At verò Sanctus Lucas — plura nobis gestorum Domini miracula revelavit, ita tamen, ut omnes sa-


B

picæ

piencia virtute: Evangelii istius complecteretur Historia. Quid enim præcellentius ad Sapientiam Naturalem, quam quod Spiritum Sanctum Creatorem etiam Dominicæ Incarnationis extitisse reservavit?— docet *Moralia* in eodem Libro, docet etiam *Rationabilia*. Certe quod turbare consuetum ordinem noluerit ex f. 6. Tom. V. apud eum conficias, ubi cum ipsum consuetum ordinem observat, licet tacitis Evangelistarum nominibus.

(S.) Haurire hoc quævis potest ex Lit. Antecedentibus. 2. R. de Utroque.

§. 15. In cognoscendi Evangelii ordine certum est, præcedere debere Johannem & Mattheum, fuerunt enim Apostoli: sequi Marcum & Lucam, sive discipulos eos faciamus Apostolorum, sive duos ex septuaginta (T).

(T.) Tria hæc occasione queri possunt (1.) num Marcus & Lucas fuerint discipuli Apostolorum? Nam Theophylactus (teste Fabricio, p. 50. in Poet. Christian.) utrumq. ex LXX. fuisse memorat. Sed pro priore sententia major est Auctorum copia, quos mox citabimus. Favet etiam ex sacris illud Lucæ c. 1. v. 2. provocantis ad traditionem eorum sibi factam, qui ab initio ipsi viderint, & ministri fuerint Sermonis Christi. (2.) Cujus Discipulus quisque fuerit? Hieronymus Proem. in Matth. Tom. IX. Oper. f. 5. Marcum vocat Interpretem Apostoli Petri, Lucam Discipulum Apostoli Pauli. Confer Fabric. d. l. Et huc forè trahas etiam Augustini verba L. I. de Consens. Evangel. cap. 1. (Tom. IV. Oper. f. 371.) sic eos : qui primos Apostolos sequebantur: Primi enim Apostoli Petrus & Paulus. Verum magis est, ut nihil definiti hic ab Augustino dicamus, sed in genere tantum innui, fuisse eos Apostolorum ipsos antecedentium. & ita primorum, discipulos. Generalis quoque aperte locutio est in illis, quæ apud Augustinum paulò antecedunt, item sequuntur c. 2. lit. C. Quærendum etiam an consuetum sit Augustino Petrum & Pau-

& Paulum primos Apostolorum vocare. Caterum an præcisè Pauli tanquam solius fuerit discipulus Lucas, dabit autem vide Barthium L. XII. Adversar. c. XII. f. 537. ex loco modo adducto Luc. 1. v. 2. quem Hieronymus, (sed quasi de sententiâ aliorum) allegat fol. 5. in Catal. script. Eccles. (3.) Cur voluerit Deus non à meris Apostolis scribi Evangelia? Respondet Augustinus, ubi modo fol. 371. D. ne putaretur, inquit, quod attinet ad percipiendum & prædicandum Evangelium interesse aliquid, utrum illi annuncient, qui eundem Dominum hic in carne apparentem discipulatu famulante secuti sunt, an qui ex illis fideliter comperta crediderunt.

§. 16. Certitudine quoque non caret suâ Matthæo anteponendum esse hoc in ordine Johannem. Fuit enim prior vocatus ad Apostolatam Johannes (U). An autem in hoc vocationis ordine Lucas quoque Marco anteponi debeat, an secus, exploratum non habemus. In re incertâ interim dedimus eis locos eos, quos consensu publico in ordine scribendi obtinere ipsos cernere licet.

(U.) Johannes enim vocatus Matth. 4. v. 21. 22. at Matthæus demum c. 9. v. 9.

§. 17. Nunc observari velim, tametsi duplex Evangelistarum, uti ostensum est hætenus, constitui potest ordo, discendi unus, alter scribendi: vetustis tamen Patribus placuisse solum eam sequi ordinem, qui fuit scribendi.

§. 18. His ita præmissis ipsa sententiarum divortia inspiciamus. Tres eas esse jam dictum est ante: PRIMA IRENÆI fuit, AUGUSTINI ALTERA, TERTIA HIERONYMI.

§. 19. Ab Hieronymo, quoniam hujus expositio plebi etiam nostræ notissima est, incipere hîc liber. Is Matthæo Hominem, Marco Leonem, Lucæ Bovem, Johanni Aquilam adjungit (Ψ).

(VV.) Hieronymus Tom. III. Oper. f. 16. L. 1. adversus Iovinianum. Tom. V. f. 77. Comm. in cap. 1. Ezechiel. Tom. IX. f. 5. Proam. in Matth.

§. 20. Irenæus autem ita disserit, ut circa Matthæum quidem & Lucam nulla ipsi intercedat cum Hieronymo dissensio, Marci tamen & Johannis animalia permittit, illique Aquilam, huic Leonem insigne constituat (X). (X) Irenæus L. III. adversus hæres. c. 11. f. m. 187. Evangelia his (sc. animalibus) consonantia, in quibus insidet Dominus JESUS. Aliud enim illam, quæ est à Patre, principalem & efficacilem & gloriosam generationem ejus enarrat, dicens sic: *IN PRINCIPIO ERAT VERBUM &c.* Johan. 1. Id verò quod est secundum Lucam, quoniam quidem Sacerdotalis characteris est Zachariâ Sacerdote sacrificante Deo inchoavit. Jam enim saginatus parabatur vitulus, qui pro inventione minoris filii inciperet mactari. Matthæus verò eam quæ est secundum Hieronymum generationem ejus enarrat: *LIBER*, dicens, *GENERATIONIS JESU CHRISTI &c.* Humanæ formæ igitur hoc Evangelium: Propter hoc per totum Evangelium humiliter sentiens, & mitis Homo separatus est. Marcus verò à Prophetico Spiritu ex alto adveniente, hominibus initium fecit: *INITIUM*, dicens, *EVANGELII, QUEM ADMODUM SCRIPTUM EST IN ESAIA PROPHETA*, volatilem pennatum imaginem Evangelii monstrans, propter hoc & compendiosam, & præcurrentem annunciationem fecit.

Eadem qua Irenæo, sententia fuit & Germano, Constantinopolitano Episcopo quod satis hæc illius verba declarant, homil. εις την σφαγήν των αγίων υψίων, quam cum aliis veterum hominibus edidit Hæschelius Auguste A. 1587. ubi p. 166. ita leges: Και το υδρ η Ιωάννη Casέλιον ηχη λέοντος περιεσωπον: βασιλικόν ηδ ο λέων, η ηγεμονικόν: ομοίως εν η ο Ιωάννης επε το βασιλικόν η δεσποτικόν αξιώματ της θεότητς τε λόγος ηεξατο, ειπών ενδεχη ην ο λόγος.

ὁ λόγος, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. Τὸ ἦ κτ' Ματθαῖον ἀνθρωπομορφον: διὰ γὰρ τῆς κτ' σάρκα γενήσεως ἢ ἐνανθρωπήσεως τῆς λέξεως ἤρατο. Τὸ ἦ κτ' Μάρκον ἀετῶ περιηλαζόμενον: διὰ γὰρ τῆς περὶ Φητίαιας ἤρατο Ἰωάννης ἢ τῆς περὶ Φητίαιας χάρις περὶ ῥατικῆ ἔσται, ὅτι τῆς τῆς πύργου βλάπτου, ἀετὸς δὲν: ὅτι ὑδρεκέσται γὰρ ὁ ἀετὸς. Μόλις ἦ ὁμοιον τὸ κτ' Λευκῶν: διότι διὰ τῆς δεξιεραικῆς ἀξίας τῆς Ταχάρις ἤρατο, ὅτι τῶν ἀμαρτιῶν τῆ λαὸς ἴσμιοντ. ἢ μόλις ἦ ἦν ὁ ἴσμιοντ. πῖπ. & quae ibi sequuntur plura. Duobus his, Ireneo & Germano, addendus quoque tertius Andreas Caesarea Episcopus, cui teste Sixto Sen. lib. II. Bibl. sanctae f. 121. Leo ob eximiam supra carteros fortitudinem Joannem significat, vitulus Lucam, aquila Marcum, homo Matthæum.

§. 21. Alia Augustini mens. Hic illud mutat, quod Matthæo Leonem, Marco Hominem assignat (Y); circa Lucam autem & Johannem consentit cum Hieronymo.

(Y) Vide August. Tom. IV. Oper. fol. 374. L. I. de consensu Evangel. c. 6. & Tom. IX. fol. 278. 279. Tract. 36. in Johannem.

§. 22. Patet hinc circa Lucam omnibus convenire (Z); circa Marcum discrepantiam esse quam maximam (a); circa Johannem & Matthæum mediocrem (b).

(Z) Omnes enim illi bovem assignant. Quod ipsum ut promtius animo recurrat, cogita Lucas boves, qui sunt Elephantii, de quibus vid. Plin. L. VI. citante Camerar. Cent. I. horar. sub c. c. 25. p. m. 132. adde Cal. Rhodiz. L. 13. Lect. Antiqu. c. 18.

(a.) Marco enim Hieronymus tribuit Leonem, Augustinus Hominem, Ireneus Aquilam.

(b.) Johanni enim Hieronymus & Augustinus tribuunt Aquilam, solus Ireneus Leonem. Rursus Hieronymus & Ireneus Matthæo tribuunt Hominem, solus Augustinus Leonem.

§. 23. Hoc ipsum cur fiat facilè licet colligere. Non enim unus idemque Sanctæ huic Patrum Trigæ fons est, ex quo promanarunt sententiæ ipsorum diversæ; sed Hieronymus Animalia Ezechielis; Ireneus verò & Augustinus Apocalypsin respexerunt, quod verba ipsorum satis abundè comprobabunt.

§. 24. Porro soli Hieronymo non ordo tantum ipsorum Evangelistarum favet, sed & Principia Evangeliorum: Irenæo Principia quidem Evangeliorum, non item ordo: Augustino certâ quâdam ratione, (si nempe præsupponas Lucam priorem scripssisse Marco) magis ordo quàm Evangeliorum principia (c.)

(c) De ordine quod dixi, planius & clarius fiet, si quasi fides ocularis id in tabulis demonstrat: quas duas apponemus, alteram Ezechielis, alteram Apocalypseo ordini accommodatam. Memineris autem è priorè tabulâ Hieronymam, è posteriore Augustinum, (sed observatâ, quam statimus, hypothesis) judicare. Veramcunq; Irenæo applices, perturbabitur Evangelistarum ordo.

Tabula prior juxta ordinem Ezechielis.

Animalia juxta Ezechielem.	Comparatio		
HOMO.	I. Hieronymi Matthæus.	II. Augustini Marcus.	III. Irenæi Matthæus.
LEO.	Marcus.	Matthæus.	Johannes.
BOS.	Lucas.	Lucas.	Lucas.
AQUILA.	Johannes.	Johannes.	Marcus.

Tabula posterior juxta ordinem Apocalypseo.

Animalia juxta Apocalypsin.	Comparatio		
LEO.	I. Hieronymi Marcus.	II. Augustini Matthæus.	III. Irenæi Johannes.
BOS.	Lucas.	Lucas.	Lucas.
HOMO.	Matthæus.	Marcus.	Matthæus.
AQUILA.	Johannes.	Johannes.	Marcus.

§. 25.



§. 25. Primum Hieronymum accedamus, quippe qui, pro sententiâ suâ confirmandâ, rationes habet non paucas, nec, ut in hoc genere, leves aut futiles (d).

(d.) Hieronymo autem dum subscribimus, hoc volumus: si ad Evangelistas trahenda hæc sit visio, magis placet Hieronymi mens, quàm reliquorum.

§. 26. Hic solus (e) exactè aptat ordinem Evangelistarum ordini animalium (f). Matthæo enim, qui primus scripsit Evangelistarum, & tanquam Dux vexillum sequentibus prætulit, primum animal Ezechielis dat, nempe Hominem, & sic deinceps.

(e.) Ad oculum hæc patet è tabulâ primâ lit. c. delineatâ. Possis tamen vincti etiam Augustini accommodationem adjuvare, si dicas Lucam priorem Marco scripsisse, quâ de re lit. P. Sic enim quadrabit ea ad ordinem Apocalypseos, ut patet ex Tab. II.

(f.) putes etiam hunc ipsum fuisse hujus Comparationis vel causam vel saltem Occasionem.

§. 27. Atque hoc respondendum est Lyræ, hanc Interpretationem refellere conanti, quia facies hominis non primo sed tertio loco ponatur in Apocalypsi (g). Dicemus enim non ad ordinem Apocalypseos, sed Ezechielis respexisse, qui sic comparaverunt (h). Nam quod Lyræ est à Ribera (i) repositum frivolum dixerim.

(g.) de Lyrâ hæc refert Paræus in Apocalypsi. p. 195.

(h.) V. Athanasium. ap. Pelarg. quest. in Matth. p. 13.

(i.) Ribera vulgatam opinionem defendens, argumento Lyræ, de non servato ordine respondet, quòd communis expositio (quæ disponit Evangelistas) servet ordinem scriptiois; Johannes ordinem Rerum, quo sint manifestatæ; quia Johannes prius coeperit clamare in deserto, (unde Leonem, hoc est Marci insigne anteposuerit Apocalypsis; inchoat autem Marcus Evangelium suum à Concione

Johannis & dicto Esaiæ de voce clamante) quam Christus inciperet prædicare: Pareus ad Apocalypf. p. 194. Quiretæ addit: Sed hoc est abuti Lectoribus. Sanè enim valde circumducta est hæc responsio, viæq. per longissimas ambages efficit, ut intelligi queat: tantum abest ut sit negotio præsentis accommodata. Videtur Ribera, cum ita scriberet, in memoriâ fuisse commentum glossæ ordinariæ ad Apocalypf. c. 5. volentis causam reddere cur Ezechiel Hominem, Apocalypfis Leonem, primo loco ponat? (observa obiter tacite præsupponi utrobique rem signatam esse eandem.) Verba autem Glossæ hæc sunt: Ezechiel quicquid futurum erat, prævidit, prius Hominem posuit, post Leonem, quia Christus (deesse videtur hic in Nativitate Homo, vel quid tale) in prædicatione Leo fuit; post vitulus, quia sacrificatus fuit; tandem Aquila, quia ascendit in caelos. Johannes impleta videns Leonem præponit, quasi fundamentum totius fidei. (Fides enim ex auditu, auditio ex prædicatione.)

§. 28. Favent etiam Hieronymo Principia Evangeliorum (k). Nam, ut ejusdem verbis rem exequamur (l) Prima Hominis facies Matthæum signat, qui quasi de Homine exorsus est scribere (m): Liber generationis JESU CHRISTI Filii David, Filii Abraham. Secunda Marcum, in quo vox Leonis in Eremito rugientis auditur (n): Vox clamantis in deserto; Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. Tertia Vituli, quæ Evangelistam Lucam à Zachariâ Sacerdote (o) sumsisse initium præfiguratur. Quarta Johannem Evangelistam, qui assumptis pennis Aquilæ & ad aliorum festinans de Verbo Dei disputat (p).

(k.) ad initialia verba singulorum Evangelistarum provocant Victorinus, Hieronymus, Glossæ ad Ezechielem, Mantuanus, Anonymus Poeta ap. Heur. Rantorum, Selneccanus, atq. ad eam hanc causam plerique de hæc sententiâ expressè allegant §. nostro 41. lic. a. x. citandi

(l.) Proæmio in Matthæum. Tom. IX. Oper. J.

(m.)

(m.) *Matthæi. 1. v. 1.*

(n.) *Marc. 1. v. 1.*

(o.) *Luca. 1. v. 6.* Fuit in diebus Herodis Regis Judæ Sacerdos quidam nomine Zacharias.

(p.) *Johannis. 1. v. 1.* In Principio erat Verbum &c.

§. 29. Aliam rationem nescio è quibus suppeditat Ambrosius, (q) ductam à quatuor Christi prædicatis, quem ut Hominem natum Matthæus, ut Leonem fortem Marcus, ut Vitulum immolatum Lucas, ut Aquilam resurgentem Johannes præter cæteros descripsit.

(q.) *Hæc ratio post Ambrosium aliis quoque placuit. Petrus Rigensis (Barthio XI. Advers. 23. f. 554. citatus) Prologo Evangeliorum:*

*Matthæum* signat vir, Bos *Lucam*, Leo *Marcum*,

Ales discipulum qui sine labe fuit.

*Matthæo* species humana datur, quia scripto

Indicat, & titulo quæ Deus egit homo.

*Lucam* designat bos victima, qui specialem

Materiam sumsit de cruce, Christe, tuâ.

*Marcum* declarat Leo, qui depingit apertè

Quantâ surrexit vi tua, Christe, caro.

Discipulum signat species Aquilina pudicum,

Qui super astra volans cœlica verba sonat.

*Sequentia veteris Ecclesie, cujus initium: Jucundare plebs fidelis, inter alia hæc sonat:*

Circa thronum majestatis

Cum spiritibus beatis

Quatuor diversitatis

Astant animalia:

Formam primum aquili-  
nam,

Et secundum leoninam,

Sed humanam & bovinam

Duo gerunt alia.

Formam viri dant *Matthæo*,

Qui scripsit sic de Deo,

Sicut descendit ab eo,

Quem plasmavit homi-  
nem.

*Lucas* est bos in figurâ,

Ut præmonstrat in scriptu-  
râ,

C Ho.

Hostiarum agens jura  
Legis velamine.  
Marcus leo per desertum  
Clamans rugit in apertum :  
Iter fiat Deo certum  
Mundum cor à crimine.  
Sed Joannes alà binà  
Charitatis, aquilinà  
Formà fertur in divina  
Puriori lumine.

Quatuor describunt isti  
Quadriformis actus Chri-  
sti  
Et figurant, ut audisti,  
Quisque suà formulâ.  
Natus homo declaratur,  
Vitulus sacrificatur,  
Leo mortem deprædatur,  
Et ascendit aquila.

*Super hanc sequentiam in manuscripto quodam codice  
hec leguntur: Matthæus habuit formam humanam, quia ipse  
specialiter scripsit de humanitate Christi, & de ejus incarna-  
tione. Sed Lucas est figuratus per bovem, quia ipse princi-  
paliter scripsit de passione Christi.— Sed Marcus (ita legen-  
dum pro Quartus,) figuratus est Leone, quia ipse princi-  
paliter scripsit de Resurrectione Christi.— Sed B. Johannes ex-  
cellentissimè scripsit de ascensione Christi:—igitur—figu-  
ratus est per aquilam. Et postea: Dicit Ecclesiastica historia,  
quòd Christus figurari voluit per ista quatuor animalia in  
signum, quòd ipse solus Dominus est & Princeps omnium  
hominum. Homo enim est dignior omnibus animalibus.  
Leo etiam est rex omnium ferarum, in cujus signum natura  
contulit sibi coronam in capite. Bos autem rex jumentor-  
um, & dignior inter alia jumenta. Sed Aquila est rex omni-  
um avium. Et propter istam excellentiam istorum anima-  
lium Christus voluit figuris illorum figurari. Versus:*

Est Johannes avis, vitulus Lucas, leo Marcus,  
Est homo Matthæus, quatuor ista Deus.

Quæ de principatu quatuor animalium hîc dicuntur, ea jam  
olim in mentem venerant Macario quoque *Ar* tam-  
etsi quadrigam ille hanc non Evangelii *a* humana ani-  
mæ quatuor potentiis accommod- *a* ejus sunt hom. I.

τῶτον

τῶν ἵ ἔφερον τὰ πένταρχα ζῶα τὰ φέροντα τὸ ἄρμα αὐτῶν τῶν ἡγεμο-  
 νικῶν λογισμῶν τῆς ψυχῆς ὡσπερ γὰρ ὁ αἰετὸς βασιλεὺς τῶν ὀρνέων, καὶ  
 ὁ λέων τῶν ἀγρίων θηρίων, καὶ ὁ ταυροῦ τῶν ἡμέρων ζῴων, καὶ ὁ ἀνθρώ-  
 πος τῶν κτισμάτων: ἕως εἰς καὶ οἱ βασιλικῶτεροι λογισμοὶ τῆς ψυ-  
 χῆς λέγουσιν τὸ θέλημα, ἢ συνείδησις, ὁ νῦν, ἢ ἀγαπητικὴ δύναμις.  
 Similia philosophatur ad angelos hæc applicans Bochartus  
 Part. I. Hierozoici lib. III. c. 5. f. 769.

§. 30. Verba B. Patris præfatione in Lucam (r), cum  
 prius hunc Evangelistam cæteris contulisset (s), hæc sunt:  
*Plerique hinc putant ipsam Dominum nostrum in quatuor Ev-  
 angelii Libris quatuor formis Animalium figurari, quod idem  
 Homo, idem Leo, idem Vitulus, idem Aquila. Homo quia natus  
 ex Mariâ est; Leo quia fortior (t); Vitulus, quia Hostia; Aquila  
 quia resurrectio est. Atqui ita in Libris singulis forma Ani-  
 malium figuratur, ut uniuscujusque Libri series propositorum vi-  
 deatur Animalium, aut natura, aut virtuti, aut gratia, aut  
 miraculo convenire. Quæ licet omnia in omnibus sint, tamen  
 plenitudo quedam in singulis virtutum est singularum (u). Or-  
 tum Hominis alius (v) descripsit uberius: mores quog, Homi-  
 nis (x) præceptis uberioribus erudit; alius (y) à potentia cæ-  
 pit expressione divina, quod ex Rege Rex, Fortis è Forti (z),  
 Verus ex Vero, vividâ mortem virtute contemserit; tertius  
 (aa) Sacrificium Sacerdotale præmisi & ipsam vituli immola-  
 tionem stilo quodam pleniore diffudit (ab); Quartus (ac) copio-  
 sius cæteris divine miracula resurrectionis expressit (ad).*

(r) Tomo V. Oper. f. 6. Confer & Tom. I. fol. 101.

(s) quâ de re supra §. 14. lit. R.

(t) cur non Fortis, ut infra, Fortis è Forti, nisi placet Tò  
 Fortior retinere propter locum Marci 1, v. 7. de quo postea  
 lit. 7.

(u) hoc vult dicere: Licet omnes Evangelistæ Nativitatem,  
 Fortitudinem, Passionem, Resurrectionem Christi prædi-  
 cent, peculiariter tamen de Nativitate concionari præ cæte-  
 ris Matthæum: de Fortitudine Marcum, & sic in reliquis.

(v.) *Matthæus.*

(x.) duas ob causas vult Matthæo hominem tribuere: primò quia Christi Natiuitatem humanam copiosius quàm ceteri descripsit: deinde quia præstitit in Sapientiâ morali seu humanâ. De hoc posteriore locus eius clarus paulò ante præcesserat: Et bene accidit ut quoniam Evangelii Librum secundùm Matthæum diximus esse moralem (textus Ambrosii descriptus supra. §. 14. lit. R.) opinio huiuscemodì non prætermitteretur. Mores enim propriè dicuntur humani.

(y.) *Marcus.*

(z.) Hoc est illud quod paulò ante lit. z. diximus, videri nempe respexisse eum ad Marci 1, v. 7. Venit fortior me post me.

(aa.) *Lucas.*

(a. b.) hoc vult dicere: Vitulum Luca deberi propter duas causas: primò quia inchoauerit Evangelium suum à narratione de Zachariâ Sacerdote: Deinde quia Passionem seu Immolationem Christi copiosius narraverit quàm ceteri Evangelistæ. Hoc insinuant etiam verba apud Ambrosium antecedentia hac: Et bene convenit vitulo hic Evangelii Liber, quia à Sacerdotibus inchoavit, & consummavit in Vitulo, qui omnium peccata suscipiens pro totius mundi vitâ est immolatus. Sacerdotalis enim & ille Vitulus.

(a. c.) *Johannes.*

(a. d.) Hoc vult: Johanni merito assignari aquilam, quia copiosius scripsit de Resurrectione Christi, quâ seipsum ut Aquilam demonstravit Christus.

§. 31. Cujuscunque verò est hunc in modum effigata Expositio, minus ea se probat, ut applausum mereatur & consensum.

§. 32. Nam primò confundit animalium allegorias duas

duas, illam videlicet de Evangelistis, cum alterâ de Christo (a. e.): hoc est, illam de quatuor subjectis unius prædicati cum alterâ de quatuor prædicatis unius Subjecti (a. f.) minus nervosè permutat.

(a. e.) Solent enim illa quatuor animalia etiam de quatuor Christi prædicatis exponi, idè, bisariam, [1.] vel enim quatuor illa prædicata faciunt a. Nativitatem, ß. Passionem. γ. Resurrectionem, δ. Ascensionem. Rotundè Glossa ordinaria ad Ezechielis cap. 1. Ipse quoque Christus — natus est ut Homo, passus ut Vitulus, resurrexit ut Leo, ascendit ut Aquila. Et in Cap. 5. Apocalyp. ANIMALIA:) Christus qui natus est, passus, resurgens, adscendens. Sic & Arndius pare. 2. vom wahren Christenth. c. 6. p. 108. qui vocat die vier hohen Ampts-Werke Christi. [2.] Vel pro Resurrectione substituunt prædicationem, & secundo loco ponunt, passioni præmittentes, credo, ut ordo animalium Ezechielis observetur, quem illa prior expositio, qua aliàs in se spectata elegantior apparet circa vitulum & Leonem, invertit. Atq; sic Leo ad prædicationem Christi, qua & ipsa Passionem ejus Vitulo designatam antecessit, refertur, perinde ut allegoria de Evangelistis Leonem quarit in prædicatione Johannis Baptistæ. Pro hac interpretatione facit Locus Glossa in Apocalyp. citatus §. 27. lit. a. Videtur & alludere quodammodo Victorinus p. 45, in Apocal. satis alioquin obscurus, dum sic scribit: Dominus noster Jesus Christus feret [forè legendum ferbat] easdem imagines in tempore adventus sui ad nos. Et cum prædicatus est tanquam Leo & Catulus Leonis; propter salutem hominis Homo factus est ad mortem devincendam & universos liberandos. Quod seipsum obtulit Hostiam Patri pro nobis, Vitulus dictus est. Et quoniam mortem devicit & adscendit in Coelos [putes eum hic aquilam facere Symbolum non modo adscendentis Christi, sed etiam cum Ambrosio resurgens, ob verba: Mortem

rem devotio] & protegens suam plebem, Aquila volans nominatus est.

(a. f.) Hoc enim pacto dua illa allegoria videntur distingui inter se posse.

Una de Evangelistis: HOMO *Matthaeus,*  
LEO, *Marcus,*  
BOS, *Lucas,*  
AQUILA. *Johannes.* } est Evangelista.

Habes hic quatuor subjecta unius predicati.

Altera de Christo: } natus est ut HOMO  
CHRISTUS } passus ut BOS,  
} resurrexit ut LEO,  
} ascendit ut AQUILA.

Habes quatuor predicata unius subjecti.

§. 33. Deinde non satis scitum est, quod miscet ejusdem allegoriae ad Evangelistas applicandae, modos duos, unum peritum ab eo, quod Evangelistarum quisque poneret ab initio Evangelii, alterum ab eo, quod uberius ceteris persequeretur [a. g.].

[a. g.] Marco enim Leo datur ab exordio Evangelii, Johanni Aquila ob copiosam de Resurrectione narrationem, Matthaeo & Lucae sua insignia ob utramque causam.

§. 34. Quod si tamen retinenda utcumque sit & amplectenda haec expositio, universa illa ad universos accommodari melius Evangelistas, quam singula ad singulos videntur [a. h.].

[a. h.] Et huc tendit forsitan Busch, p. 89. Herz und Haus Kirch/ his verbis: Des Menschen Angesicht ist die Geburt: des Kalbes das Leiden Christi: — der Löwe die Auferstehung: der Adler die Himmelfahrt; Wie denn denen vier Evangelisten diese zugesüget werden/ das Sie davon schreiben.

§. 35. Haecenus de Comparatione Hieronymi. Progre- diendum ad Augustinum, qui tantum illud ex precedenti mutat,



mutat, quod Matthæo Leonem, Marco Hominem assignat.

§. 36. Quanquam autem pro eâ minor stat copia suffragiorum [a. i.], non tamen omninò eam rejiciendam esse autumo, quippe & illa suis innixa Rationibus.

[a. i.] *Ante Augustinum fuisse aliquos, qui sic exponerent, hæc verba Augustini declarant, Tom. IV. fol. 374. D. Unde mihi videntur, qui ex Apocalypsi illa quatuor animalia ad intelligendos quatuor Evangelistas interpretati sunt, probabilius aliquid attendisse illi, qui Leonem in Matthæo, Hominem in Marco, Vitulum in Lucâ, Aquilam in Johanne intellexerunt. Qui autem hi fuerint, querendum esset. Post Augustinum Beda quoque in hac sententiam citatur à Paréo p. 193. ad Apocalypsi.*

§. 37. Primam in hac descendendi sententiam, qui hanc viam institerunt, causam, videntur habuisse ordinem animalium in Apocalypsi. Nec enim frustra esse dixerim, quòd Augustinus hic Apocalypseo mentionem injicit, non item Ezechielis (a. k.). Atque ut Hieronymi expositio Ezechielem pro oculis habuit (a. l.): ita hæc Apocalypsin, Quo factum ut primum animal Apocalypsicum Leonem primo Evangelistarum dederit Matthæo.

(a. k.) *Locum vide §. precedent. lit. a. i.*

(a. l.) *Qua de re supra §. 23.*

§. 38. Nec planè sedulum attentumque rei Ponderatorem hinc abducit, quod in Marco mox & Lucâ hunc ordinem violatum esse quispiam objiciat. Videtur enim conjecturis quibusdam (a. m.) ostendi posse, de Marco & Luca deliberasse Veteres, utrum crederent scripsisse priorem?

(a. m.) *Harum Conjecturarum una peti potest ab eo, quod in Catalogis Evangelistarum Lucas interdum anteponitur Marco, salvo cæteris suo loco. Vide Supra §. 14. lit. P. Altera inde, quòd ipsa quoque prior Expositio, quatenus pro illustra-*  
*tio.*

zione assumit illa quatuor Christi opera, de quibus supra §. 32. lit. a. e. concinnior evadit, scilicet Christum patientem resurgenti, hoc est, Bovem Leoni, Lucam Marco, anteponas, ut probabile sit, ita fecisse Veteres quosdam. Nam minus speciosa est & duriuscula illa Leonis ad predicationem Relatio. Tertia inde, quia ipse Augustinus in expositione sua, tamen se ab initio anteposuerat Marcum Luca, postponit tamen postea, uti mox ex §. sequente manifestum fiet.

§. 39. Telam semel hunc in modum inchoatam, ingeniosè continuavit Augustinus, & in hunc sensum fidem fecit allegoria. Intentio Matthæi fuit, Christum ut Regem, Lucæ ut Sacerdotem nobis commendare (a. n.). Rectè ergo Leonem assignabimus Matthæo (a. o.), Vitulum Lucæ (a. p.); Marco autem hominem, quia neque stirpem Regiam, neque Sacerdotalem vel cognationem vel consecrationem narrare voluit (a. q.), sed tantum ab Homine Christo exorsus est (a. r.). Tandem Johanni Aquilam, quia ut reliqui Christum ut Hominem (a. f.), ita hic magis ut Deum (a. t.) prædicavit.

(a. n.) de utroque junctim Augustinus ita Tom. IV. fol. 373. C. Cum ergo Matthæus circa Regis, Lucas circa Sacerdotis personam gereret intentionem: — Ad Matthæum quod attinet, voluisse cum Regiam imprimis dignitatem Christi celebrare, his argumentis docet Augustinus: [1.] quia in Genealogiâ Christi per Salomonem Regem descendat, ceteros etiam Reges ex ordine prosecutus fol. 373. A. [2.] quia narret, Magos venisse ab Oriente, ad Christum Regem quarendum, fol. 375. A. [3.] quia referat, quemadmodum ipse Rex Herodes Regem Christum formidaverit Infantem. Similiter quod Luca major cura fuerit Sacerdoti Christi sic suadet: [1.] quia in Genealogiâ Christi ascendit ad Davidem, per eos, qui Reges non fuerint, usque ad Nathanem qui & ipse Rex non fuit, fol. 373. A. [2.] quia solus Lucas manifestè commo-  
mores

mores Mariam cognatam fuisse Elisabeth, quæ Uxor erat  
Zachariae Sacerdotis, *ibid.* C. [3] quod à Sacerdote Zacharia  
incipiat sermo narrantis f. 375. A. [4.] quod Sacra-  
menta primi Sacerdotii in Infante Christo impleta revelet,  
*ibid.*

(a. o.) Quoniam videtur Leo Rex esse quodammodo be-  
stiarum propter potentiam & terribilem fortitudinem:  
*Augustin. Tom. IX. Oper. f. 279. A. Unde Et in Apocalypsi cum*  
*ipsa tribu Regiâ Leo commemoratus est, ubi dictum: vicit*  
*Leo de tribu Juda, Tom. IX. f. 374. 375.*

(a. p.) Quia magna victima Vitulus erat in sacrificiis Sa-  
cerdotum: *Augustin. Tom. IX. f. 279. A.*

(a. q.) Ipsius Augustini hæc verba sunt *Tom. IV. f. 575. A.*

(a. r.) Iterum Augustini verba, *Tomo IX. f. 279. b.*

(a. s.) Secundum Hominem quippe Christus & Rex & Sa-  
cerdos effectus est. *Augustinus. f. 373. C. Tom. IV. De Mar-*  
*co jam dictum.*

(a. t.) Egregios hæc de re locos invenies apud Augustinum.

Unus est *Tom. IV. Oper. f. 375. b. Libr. I. de consens. Evangel.*

*cap. 6. Hæc autem Animalia tria, inquit, sive Leo, sive Ho-*

*mo, sive Vitulus in terrâ gradiuntur: unde isti tres Ev-*

*angelistæ in his maximè occupati sunt: quæ Christus in*

*carne operatus, & quæ præcepta mortalis vitæ exercen-*

*dæ carnem porrantibus tradidit. At verò Johannes su-*

*per nebula infirmitatis humanæ, velut aquila volat, &*

*Lucem incommutabilis Veritatis acutissimis atque fir-*

*missimis oculis cordis intuetur. Alter *ibidem præced. c. 5.**

*f. 374. B. C. Cum duæ virtutes propositæ sint animæ hu-*

*manæ, una activa, altera contemplativa--; intelligere*

*datur, si diligenter advertas, tres Evangelistas tempora-*

*lia facta Domini & dicta, quæ ad informandos mores vi-*

*tæ præsentis maximè valerent, copiosius profecutos, cir-*

*ca illam activam virtutem fuisse versatos; Joannem ve-*

ro facta Domini multo pauciora narrantem, dicta verò  
ejus, ea præsertim, quæ Trinitatis unitatem, & vitæ æter-  
næ felicitatem insinuarent diligentius & uberius con-  
scribentem, in virtute contemplativâ commendandâ  
suam intentionem prædicationemque tenuisse. Tertius  
*Tract. 36. in Job. Tom. IX. Op. f. 275. D.* Cæteri tres Evan-  
gelistæ tanquam cum homine Domino in terrâ ambu-  
lantes de divinitate ejus pauca dixerunt; istum autem  
quasi pigerit in terrâ ambulare, sicut ipso exordio sui  
sermonis intonuit, erexit se non solum super terram, &  
super omnem ambitum æris & coeli, sed super omnem  
etiam exercitum Angelorum, omnemque constitutio-  
nem invisibilium Potestatum, & pervenit ad eum, per  
quem facta sunt omnia, dicendo: *In principio erat ver-  
bum.* Quartus *ibid. f. 279. B.* Hi omnes propè de terre-  
nis, i. e. de iis, quæ in terrâ gessit Dominus noster Jesus  
Christus, non recesserunt, de Divinitate ejus perpauca  
loquuti sunt, tanquam in terrâ cum illo ambulantes. Re-  
stat Aquila: ipse est Johannes, sublimium Prædicator,  
& Lucis internæ atque æternæ fixis oculis contemplator.  
*Augustinum præ oculis fuisse dicas Radulpho Ardeni, cum  
homil. in Natal. Dom. (Part. I. homil. p. 78. ed. Colon. A. 1604.)  
ita scriberet de Johanne: Non immeritò in figurâ quatu-  
or animalium Aquilæ volanti, altivolo videlicet, & al-  
tivolo [sic legendum, pro, alenrido,] præ cæteris volatili  
comparatur. Cæteri quippe Evangelistæ, qui tempo-  
ralem Christi nativitatem, & temporalia ejus gesta, quæ  
gessit in homine, sufficienter exponunt, & de Divinitate  
ejus pauca dixerunt, quasi animalia gressibilia cum Do-  
mino in terra ambulant. Hic autem pauca de tempo-  
ralibus ejus gestis edifferens, sed divinitatis ejus præsen-  
tiam sublimius contemplans, cum Domino ad cælum  
volat,*

volat. Et Chrysoſtomus Proem. in Johannem dicit, Johanne-  
nem per Evangelium docuiſſe Angelos ſecreta verbi incar-  
nati, quæ prius ignorabant, adeoq̄ fuiſſe eum Doctorem Cbe-  
rubinorum & Seraphinorum. Adde hic Encomium Pauli  
Ariſti Tom. II. l. 5. c. 3. p. 451. Roma ſubterranea ſic ſcribens  
316: Aquila digniſſimum illum ac Lynceum in Arcana-  
rum rerum ac Myſteriorum ſublimitate Speculatorem  
Johannem Evangeliftam ſublimi velocium pennarum  
Symbolo portendit. Quem & Dionyſius Arcopagita in E-  
piſt. ad Johann. citante Cornel. à Lap. Comment. in quat.  
Evangel. Proem. p. 10. vocat Solem Evangelii, cuiusq̄ Evan-  
gelium nuncupat memoriam & renovationem Theologia il-  
lius, quam ipſe recumbens in pectore Chriſti ex eo hauſit, &  
Evangelio quaſi Solis radio poſteris intuendam reliquit.

§ 40. Reſtat jam Tertia adhuc Expoſitio, Irenæi, quem  
tamen Gallafius (a. u.) non animadvertit diverſam fovete  
ab Hieronymo. Ille verò eandem cum Auguſtino reſpe-  
xit Apocalypſin, & Argumenta à Principiis Evangeliorum  
deduxit, ut ex loco ſupra adducto (a. vv.) patere cuius pot-  
eſt, adeo ut planè videatur ſupervacaneum prolixioribus  
verborum ambagibus illi inhæreret.

(a. u.) Not. ad eum Locum. f. 386.

(a. vv.) Suprà §. 20. lit. X.

§. 41. Hoc ſcire præſtat; Hieronymi Expoſitionem  
maximum ubique adeptam eſſe applauſum (a. x.), ut com-  
munis meritò appellari poſſit. Eriam Pictores vulgò, cum  
ſua cuius Evangeliftarum appingunt Inſignia, cum unice  
ſequuntur & obſervant.

(a. x.) Favent illi Athanaſius apud Pelarg. 2 q. in Matth.  
Ambroſ. Tom. V. f. 6. qui tamen interpretatione adjuvan-  
dus eſt, quam dedimus notis ad §. 30. Victorinus Comment.  
in Apocalypſ. p. 44. & 45. Gloſſa ordinaria ad cap. 1. Ezechiel.

*Sedulius l. i. Oper. Paschal. p. 535. sub f. edit. Fabric. Anonymus Poeta vetus ap. Fabric. p. 50. ad Sedul. & ceteros Poet. Christiani. Alius Poeta Anonymus apud Ranzoviu. Cal. p. 139. Baptista Mantuanus ap. Eund. lb. Selnec. part. 1. Possill. p. 244. Petrus Rigerensis apud. Barth. fol. 557. Adv. (recurre ad §. 29. lit. g.) Corn. à Lap. t. c. Eilhard. Lubin. in Monotessar. Disp. 1. §. 2. & alii. Plures veterum suppediabit Johannes de Sylveira Comment. in Apocalyps. f. 309. & 311. Hic illud addo, repertum etiam fuisse, quod Evangelistarum historias & capita certis quibusdam signis & figuris in quatuor Animalium singulis tributorum imaginibus repraesentaret. Sed animalia ista plane monstraeffecit partim horrenda, partim ridicula; quales scilicet esse solent imagines ad rationem artis mnemonicae confectae. Titulus libri est: Rationarium Evangelistarum omnia in se Evangelia prosa, versu [nam & hoc ibi praestitit,] imaginibusque quam mirifice completens. Nomen auctoris non praemittitur. Quod autem ad calcem libri sequentia leguntur: Ista tibi Thomas Badensis cognomento Anshelmi tradidit, vir magisterio praeditus insolente &c. M. DX. non tam ad auctorem, quam typographum referendum aliquis putaverit. Constat enim, Thomam Anshelmum Badensem per ea tempora excudendis Haganoa libris operam dedisse.*

§. 42. Accedit, quod Veneti quoque cum Patronum & Deum quasi Tutelarem (si stylo Romano loquendum) sibi elegerint Marcum, augustissimumque in honorem ejus summum & devotissimam Venerationem aedificassent templum (a. y.), simul cum Ipso & Leonem adoprarunt.

(a. y.) *Sabellicus in Histor. Venetâ Dec. 3. L. 6. Est Divi Marci aedes, quam ab initio auream, quia penè tota purissimo fulget auro, appellavimus, intus extraque circa imum marmoreis tabulis compacta. Adde Petrum Bembum Hist. Venet. L. 8. p. 208. Postremum est, ut Deos omnes orcm,*

orem, teque imprimis Marce Urbis hujus Parens & Conservator, Cujus templum inauratum atque augustum ante Curiam Majores nostri antiquitus edificaverunt &c.

§. 43. Præter hæc ridicula res contigit. Incidens aliquis in Locum Augustini, & Ireneum ignorans, ad quem tamen ille locus Augustini respicit, novam Glossam peperit.

§. 44. Verba Augustini, ut quidem vulgò edita habentur, hæc sunt: (a. z.) Unde mihi videntur, qui ex Apocalypsi illa quatuor animalia ad intelligendos quatuor Evangelistas interpretati sunt, probabilis aliquid attendisse illi, qui Leonem in Matthæo, Hominem in Marco, virulum in Luca, Aquilam in Johanne intellexerunt, (b. a.) quam illi, qui Hominem Matthæo, Aquilam Marco, Bovem Luca, Leonem Johanni tribuerunt. (b. b.) De principiis enim Librorum quandam Conjecturam capere voluerunt, non de totâ intentione Evangelistarum, que magis fuerat persequenda.

[a. z.] Libr. 1. de Cons. Evangel. C. 6. Tom. IV. f. 374. Horum verborum priorem partem dedimus supra §. 36. a. i.

[b. a.] Hæc illa est etiam Augustino ipsi probata & paulò ante à nobis excussa expositio.

[bb] Hac illa certia est Irenei.

§. 45. Ut res magis sit perspicua, coronidis loco transcribemus huc totam Fabulam cum *Truvijis*, h. e. carmen cum Interpretatione & insertis nostris observatiunculis, quæ tùm a lia moneant, tùm quibus in locis Scriptorculus iste Augustini vel Ambrosii in ventis abusus sit. Unde simul hoc patebit, utunque antiquus ille sit Nugator [b. c.], post Augustinum tamen & Ambrosium certò scripsisse, quanquam hoc alioquin & stylus prodit.

[b. c.] Existit Epigramma illud, ut proficetur Baribius L. XI. Advers. c. 23. fol. 553. in veteribus Membris Juvenci; ipse vocat antiquissima carmina, veterem & cariosum annotatorem. f. 554.

§. 46. Ipsum ergò Epigramma de quatuor Evangelistis hoc est:

MATTHÆUS insinuat virtutum [b. d.] tramite Mores  
Et bene vivendi iusto dedit ordine leges [b. e.].

D 3

MAR:

MARCUS amat Terram inter Cælum, volare,  
Et vehemens Aquila stricte secar omnia lapsu.

LUCAS uberius describit prælia CHRISTI,  
Jure Sacer Vitulus qui manio fatur avia [b. f.].

JOHANNES fremit ore Leo similis rugienti  
Intonat [b. g.] æterna pandens mysteria vite.

[b. d.] Rectius consuleretur, utro, si scribamus: Virtutum instituit Matthæus, ut emendavit Anonymus Fabricii, quem mox dabimus S. 49.

[b. e.] Imductum hoc ex Ambrosio, cujus locum dedimus supra S. 14, lit. R.

[b. f.] Anonymus Fabricii: quia juxta incenia fertur. Neutrum capio: fortasse uterque jacet in mendo. Placet tamen & arridet quàm maximè Celeberrimi Philologi, Reinesii, ad excellentissimum Dn. Præsidem professæ sententia: dum ita corrigit: quia munia fatur Abia. Putat autem respici ad Luc. i. vers. 5, quo Zachariam è classe, præfecturâ, partitione seu statione [una ex illis viginti quatuor] Abia fuisse legimus. Illud autem fatur, ad Lucas referendum.

[b. g.] Anonymus Fabricii: insonat.

S. 47. Interpretatio Sermone proso concepta hæc est: Matthæus, quia plus moralis fuit [b. b.] quàm ceteri Evangelistæ, idcirco per animal rationale, i. e. hominem designatur. Marcus dicitur volare inter Cælum & terram, quia enim Nativitatem Verbi, in quâ terram nostra Carnis Deitas assumpsit, sicut Matthæus & Lucas non descripsit, quasi terram non tetigit. Et quia de Divinitate pauca dixit, nec cælum sicut Johannes penetravit [b. i.]. Aquile verò propter velocitatem narrationis comparantur, quia brevitè loquitur in omnibus [b. k.]. Lucas figuram vituli tenet, qui in bello mactari solet, quia latius describit, quæ in Templo & circa Templum gessit Dominus, & plura loquitur de Passione Domini [b. l.]. Johannes per Leonem exprimitur, quod quasi rugitum Leonis [b. m.] edidit dicens: In Principio erat Verbum.

(b. b.) Hoc ex Ambrosio esse jam dictum est.

(b. i.) Sunt hæc satis violenta. Alludunt autem partim ad id, in quo Augustinus quoque Marcum Matthæo & Luca, genealogia Christi



si descriptoribus, dissimilem facit ut notavimus §. 39. partim ad id, quod passim reperitur, Johannem Christi Divinitatem maximè celebrasse. Sed secundum hoc, si Marcus Aquila est, nec tamen Cælum Johannes tetigit, Johanni debebat aliquid assignari animal, ipsius Aquila volatum transcendens. Tale verò nusquam comparer.

(b. k.) Augustino hoc debetur, qui observavit Marcum esse breviororem Matthæi. Verba ejus hæc sunt, L. I. de consens. Evangel. c. 2. Tom. II. f. 372. D. Marcus eum (Matthæum) subsecutus tanquam pedisequus & Breviator ejus videtur. Et hinc etiam intelligas cur strictum lapsum Poeta hîc dederit Marco in versibus, ob brevitatempum.

(b. l.) Haustum ex Ambrosio, cujus verba descripsimus supra.

(b. m.) Transtulit rugitum Johannis Baptiste, de quo supra §. 28. ex Hieronymo, ad rugitum Johannis Evangelista.

§. 48. Hæc expositio, uti tota penè coacta est, ita non invenit Amalios. Repertus est postea potius, qui versus illos diffingeret in sensum Comparationis Hieronymi. Sed cum mutatis tantum Johannis & Marci personis reliqua retenta cuperet verba, tactum est, ut sensus ipse alicubi non parùm vacillet. Servavit hos versus Georgius Fabricius (b. n.) eosque in antiquo Codice reperisse se testatur.

(b. n.) pag. 50. ad Poet. Christian.

§. 49. Versus hi sunt, cum superioribus in plerisque concinentes:

*Virtutum instituit MATTHÆUS tramite mores,*

*Et bene divendit jussu dedit ordine Leges.*

*Infremit ore pio MÆRCUS similisq; Leoni (b. o.)*

*Infonat eterna pandens mysteria Vita,*

*LUCAS uberius describit prælia CHRISTI*

*Jure Sacer Vitulus, quia juxta mania fertur.*

*Terras inter amat cælumq; volare (b. p.) JOHANNES,*

*Et vehemens aquila (b. q.) stricto secat omnia lapsu.*

[b. o.] Immo Leoni similis faciendus erit non Marcus, sed Johannes Baptista apud Marcum.

[b. p.]

[b. p.] Immo cælum ipsum volatu transcendere: Vide supra §. 39. lit. a. t. Nam cur Baribianus Anonymus Marcum doceret inter cælum & terram volare, aliam id causam habuit, que hic apud Johannem minimè valet. Sed Parodus iste non videtur percepisse sensum horum verborum. Credidit forè lapsu quodam memorie factum fuisse, ut Marco Aquila daretur, Jobanni Leo, catem satis esse sana. Lapsum illum memoria corrigere voluit, catem, quia non habuit suspecta, omisit.

(b. q.) Baribianus: Aquila. Scripto autem esse brevi monitum fuit. Atqui ne hoc quidem quadmi in Johannem, qui non fuit ut Marcus Breviator alterius Evangelista.

§. 50. Sed manum de Tabulâ! Sufficere hæc poterunt cupido Lectori quoad Historicam de Insignibus hæc sacris cognitionem: Curatam qui cupit decisionem, aut Locorum Interpretationem, Theologorum (b. r.) summe Réverenda adire potest Pulpita. Nôs ILLI, cuius Gratiâ freti incepimus, finem Dissertationi imponentes dicimus & tribuimus

meritò

GLORIAM SALVATORI.

(b. r.) Confer Theologos supra §. 3. lit. F. citatos.

## COROLLARIA.

Angelis nuptiæ non conveniunt.


Mundus non habet animam seu formam substantialem.

Quæstionem omnium primam fecit serpens.

Leges bonæ Christianam Libertatem non tollunt.

Omnibus rebus destinatus est

F I N I S.



DD A 6358

ULB Halle 3  
002 920 387




sb.

Reho ✓ 1077

5 ♦ 8





Fragment of text on the spine edge, likely a title or library mark, written in black and red ink. The text is partially obscured by the binding and appears to be in a Gothic or similar historical script. Legible fragments include "m m m" and "P".



ei, M  
VIL  
o qu  
ellile  
ID  
nis  
n qu  
FR  
poll  
inar  
nina



40

GRATIA SALVATORIS!  
ET  
BENEVOLO INCLUTI PHILOSOPHORUM SENATUS INDULTU  
**INSIGNIA**  
QUATUOR EVANGELI-  
STARUM,  
*IN ALMAPHILUREA*  
SUB PRESIDIO  
VIRI EXCELLENTISSIMI, PRÆCLARISSIMI QVE  
DN.

**M. JACOBI THOMASII,**  
Eloquentiæ Prof. Publ. celeberrimi,  
Facultatis Philosophicæ Assessoris gravissimi, ut &  
Minoris Principum Collegii Collegiati longè dignissimi,  
DOMINI, PATRONI ET PRÆCEPTORIS  
cum observantiâ colendi

*Ad d. 30. Novembr. A. 1667.*

Disputationis loco publicè proposita.

**GOZZI SPROTTA,**  
URATISL. SILÈS. A. A. LL. & PHILOS. BAC-  
CALAUREO ET MAGISTERII CANDIDATO.

Auctior jam recusa.

F E N Æ,

Sumptibus CHRISTOPH. ENOCH. Buchta/  
M. DC. LXXI.

